

122

120

126

116

131

111

171

071

221

021

Ende

Anfang

111

accurrentes juvenes conabantur nobis pullos incisos eripere et in flumen projicere et fecissent, nisi nautae nostri obstitissent, et habuimus multa litigia pro erectione pullorum occisorum, aestimabant enim esse immunditiam et peccatum, sic (**D**) pullum comedere vel quamcumque bestiam, antequam totus sanguis usque ad guttam sit effusus. Ideo ipsi totam gulam pulli incident et pullum incisum manibus premunt, ne cum aliquo sanguine coquatur, nam mandationem sanguinis vel carnis cum sanguine abominantur sicut Judaei, servantes ritum praeceptum Genes. IX. et Levit. XVII. Passim manducant quodecumque, sed prius mundificatum, unde pullum, quem mundicare volunt, per sex dies capiunt et in caveam mundam includunt vel in aliquo loco corticula ligatum tenent et pura grana et aquam mundam ei tribuunt et ita mundificatum et a sanguine separatum coquunt. Sunt enim, ut saepe dixi, mundissimi in cibo et potu et vestimentis et cerebrimis baptismatibus utuntur ad mundanda corpora. Sic ergo coximus carnes et comedimus. De civitate autem omnis paene populus, maxime juvenes, ad nos exierunt ad videndum hospites, sicut etiam nos facimus in adventu Zigarorum ad partes nostras. Inter accurrentes venit unus masculus Maurus et portavit manu cocodrillulum, quem ceperat, duarum palmarum longitudinem habentem, quem curiosius aspeximus et mirabamur, quod tam parva bestia in tam ingentem draconem proficit. De hoc dicetur infra. Alius juvenis portavit origem unum, Aegyptium glirem, in quantitate catti dimidii anni, hunc quidam peregrinus emit, sed non diu vivus mansit. De hac bestia fit mentio Esajae 51.

Mansimus autem in portu illo die illo toto et in sacro flumine balneati sumus, non tantum pro necessitate, quantum pro devotione, ut ablueremur sacris paradisi undis, non tamen aquis in profundo nos commisimus, timentes bellugas in eis viventes. De hoc lavaero et balneo, si gloriari voluero, non ero insipiens, cum legamus, sanctum antistitem Epiphanium sola inspectione illius sacri fluminis gavisum, unde dicit in epistola ad Johannem, Jerosolymitanum epis copum: Ego vidi aquas Geon, aquas his carneis oculis aspexi etc. Hanc epistolam transtulit Jeronymus ex Graeco in Latinum.

Porro post occasum solis reingressi sumus navem et ea soluta recessimus, cum gaudio autem navigavimus, quia Saraceni, qui tota die dormierant, jam vigilabant, cantabant et manducabant.

